



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 27.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

splendore; cordium hic nobilitas & modestia sufficiunt. Voluit igitur Deus hoc indicare, fidem non ingeniorum, acuminis, prudentiæ, potentie munus esse, sed diuinæ misericordiæ. Non obstat humilis prudentia, non Deum timens scientia, non potentia se Deo submittere, nec adiuvat stupor, aut ignorantia, sordisque & paupertas, sed tamen ex pauperibus plures eliguntur, plures diuitum pereunt. Quia plures habent pereundi causas: & pauperes Deus peccati liari fauore elegit.

Abcondere dicitur, quod non reuelauit. Hilar. in Psal. 137. Duplicem in confessione significationem esse in plurimis locis demonstrauimus: aut peccati nostri, aut laudationis Dei. Et hoc ita esse ex Euangelicis dictis promptum est noscere. Nam cum ait Dominus: Confiteor tibi Domine pater celi & terre, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus seculi, & reuelasti ea paruulis, laudem Dei patri ob reuelata paruulis, quæ ignorata essent prudentibus constituitur: docens ideo absconsa ea esse his, qui prudentes viderentur, quia non secundum innocentiam paruulorum preceptis Euangelicis credidissent.

VERSVS 26.

Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

QUESTIO I.

Qua causa repulsa & assumptionis?

§. 1. **C**Ræcè legitur *vel* *ὁ πατήρ*, nominandi casu pro vocandi Attice. Arist. in ranis. *ὁ πατήρ ἀνέλεος δὲ τοῦ*, *ὁ πατήρ* huc sequere. Ita aliis quoque locis, ut in quo clamamus Abba Pater. singulari autem affectu Christus hoc patris beneplacitum approbat, & laudat.

Causa Dei voluntatis non est querenda.

§. 2. Cur alii reuelat, alii non, noli querere, beneplacitum est. Itaque damnantur Pelagiani, qui gratiam aiunt dari secundum merita, vel ex præiusto bono vsu liberi arbitrii. Augustinus Serm. 48. de tempore: Facti huius equitatem, Abscondisti sapientibus, confirmat Christus, voluntatis paternæ iudicio: Vide quam terribilis sit in consiliis Dominus. Disce humilitatis exemplum, nec tenere discutas superna dispensationis consilia. Cum dixit Christus: alii reuelauit, alii non, non mox rationem aliquam reddit: sed sic Deo placitum dixit, ostendens, iniustum esse non posse, quod placuit iusto.

Paruitati datur, quod sapientia negatur.

§. 3. An electio sit ex præiustis meritis, hoc loco disputant. Multi hoc loco vtuntur, ut ostendant, electionem ad gloriam non esse ex meritis præiustis. Verum hic agitur de electione ad gratiam, seu interna vocatione, ostensione mysteriorum, cui altera illa connexa est, sed non necessario ea ratione, qua prior. Deinde in his ipsis verbis, sapientibus & paruulis ratio continetur, cur hi eligantur, isti reiciantur, quia illi superbe sapientes, iudicantesque, hi deuoti paruuli, quanquam & paruitas illa ex donante est, & sapientia ingenii, sed abusus ex vitio. Nam reuera ratio hic continetur, dandi, & non dandi, quia paruuli, & quia sapientes. Paruitas tamen ipsa, seu primum beneficium est ex sola dantis voluntate.

§. 4. Porro ea de questione alio loco disputandum erit. Iren. l. 4. aduers. hæreses; Vnum Deum Christi patrem & mundi fabricatorem probat. Rursum Dominus noster Iesus Christus eundem hunc Patrem suum confitetur in eo quod dicit. Confiteor tibi Pater, Domine celi & terre. Quem patrem volunt nos audire, hi qui sunt Pandora peruersissimi Sophiste: Vtrumne Bythum, quem semetipsi sinxerunt; an matrem eorum; an virginem? An quem Marcionita, vel ceteri adinuenerunt Deum? Quem

quidem non esse Deum, per multa demonstrauimus. An (quod est verum) fabricatorem celi & terre, quem & Propheta prædicauerunt, quem & Christus suum Patrem confitetur, quem & Lex annunciat dicens: Audi Israel, Dominus Deus tuus, vnus est.

VERSVS 27.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

QUESTIO I.

Quomodo omnia tradita?

§. 1. **N**ON alienando, sed per æternam communicationem, Ioan. 16. 15. Omnia quaecunque habet pater, mea sunt. Et si illi me contemnunt, & viam perbeculam mihi credentem, tamen & illi sub mea fute manu, & omni sua astutia eo peruenire non possunt, ut sine me vel patrem, vel me agnoscant.

Eo igitur ita dicuntur, ne quis filium patre inferiori suspicaretur, & ut vim habeat maiorem, quam v. 28. subiungit inuitatio, ut ad eum accedant, qui omnia a patre, à quo omnia expectare oporteat. Irenæus l. 4. omnia Christo tradita ab eo patre assenti, qui omnia creauit, non enim alius Deus mundi creator, alius Christi pater, sed vnus idemque, tradere enim ille tantum potuit, qui creauit. Tradidit autem humanitati gratiam, gloriam, Imperium, filio vel secundæ personæ improprie diuinitatem, sed generando. Sed Irenæum audiamus. Consequenter autem & Apostolus ait. Vnus Deus (inquit) Pater, qui super omnes & in omnibus nobis. Similiter autem & Dominus. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: manifeste ab eo qui omnia fecit. Non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est & propter hoc idem est iudex viuientium & mortuorum, habens clauem David: aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Nemo enim alius poterat nec in celo, nec in terra, nec sub terra aperire paternum librum, nec videre eum, nisi agnus qui occisus est, & sanguine suo redemit nos: ab eodem qui omnia verbo fecit, & sapientia adornauit, accipiens omnium potestatem, quando verbum caro factum est, ut quemadmodum in celis principatum habuit verbum Dei, sic & in terra habet principatum: quoniam homo iustus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Principatum autem habet eorum, quæ sub terra sunt, ipse primogenitus mortuorum factus: & ut viderent omnia quemadmodum prodiximus, suum regem: & ut in carnem Domini occurrat paternæ lux, & à carne eius vita veniat in nos, & sic homo deueniat in corruptelam, circumdatus paterno lumine: & quoniam verbum, id est, Filius semper cum patre erat, per multa demonstrauimus.

§. 2. Omnia, comm. Hier. non elementa, sed hi qui per filium accessum habuerunt ad patrem. Beda quoque omnes homines, qui ad patrem accedunt, quod quidem suo modo probandum est. Nam de hominum salute præcipue agitur, nihilo tamen minus ad omnia, quæ per ipsum facta sunt, quæque per ipsum gubernantur, extendenda sunt verba. Omnia etiam à minimo puluisculo vsque ad summum angelum ei tradita sunt.

QUESTIO

An hic ostendatur Christi diuinitas?

Films in
visible.

Deum in
nihilum
tinent.

Non sunt
duo patres
cogniti
& inco-
gniti.

Christi
Deus pr
basur.

§. 6. Cum vero additur, Neminem nosse, nisi cui voluerit filius reuelare. Demonstratur fidem non esse nisi ex dono Dei, & hanc gratiam efficacem non dari omnibus l. 2. de gratia, & libero arbitrio, cap. 12.

An quia dedit omnia, sit ubique?

Vbiquitas
portentosa.

Non est sine errore magno tam demens responsio. si enim illa communicata sunt humanitati, ita ut humanitas etiam sit ab æterno, non video quomodo non sit Deus, quæ est immaterialis & simplex & ab æterno. Cur vero ab his non denominatur? Quia non perficiunt inquit. At cur omnipotentia perficit, non perficit æternitas, infinitas, simplicitas, quæ

Horrenda
blasphemia.

Vbiquitas
blasphemia.

quæ essentialiter sunt idem cum omnipotentia? Vnum si realiter adest, omnia adesse necesse est. Andreas Osiander in disput. de maiestate Christi hominis ait, assumptionem carnis hypostaticam, necessario definiendam esse *exauratione humanitatis cum diuinitate, & tota potentia, gloria, maiestate.* Impia igitur thesis est Wirtemb. vndecima. [Itaque (propter vnionem personalem & proprietatem communicationem) credimus, Christum etiam secundum humanitatem suam esse omnipotentem, seu (quod idem est) humanam in Christo naturam esse omnipotentem. Scriptura enim Sacra, Christo etiam quatenus homini, omnem potestatem, (quæ nihil aliud est, quam omnipotentia) tribuit. Omnia (inquit Plantes) subieisti sub pedibus eius, Psalm. 8. Et Paulus hunc Davidis locum explicans, inde probat: quod Christo omnia sint subiecta præter eum, qui subiecit ei omnia 1. Corinth. 15. Ioannes Euangelista inquit: Sciebat Iesus, quod OMNIA dedisset ei pater in manus, Ioan. 13. Et Christus ipse (etiam ante passionem suam) dicit: omnia mihi tradita sunt à patre meo, Matth. 11. & post resurrectionem inquit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Matth. 28. Huc referenda sunt etiam miracula Christi, vnde dubitata eius omnipotentiae testimonia: Quod tactu mundaui leprosum, visum cæcis restituit, quod voce sua Lazarum in vitam reuocauit: quippe quæ miracula Christus non aliena virtute, (vt Propheta & Apostoli,) sed propria potestate edidit.]

Hanc potestatem nos de rebus creatis administrandis accipimus: Deinde etiam diuina opera Christo tribuantur: aliud est tamen quod operatur diuinitas, aliud quod patitur humanitas. Salua est enim vtriusque substantiæ proprietas, ita Tertullianus aduersus Praxeam: Cyrillus de Trin. l. 5. Nyssenus clare, & vere. Neque humana natura Lazarum viuificat, nec deslet iacentem impassibilis potentia: sed lacryma quidem hominis est propria, vita autem ea, quæ vera vita sunt. Eadem Damascen. l. 3. de orthodoxa fide cap. 15.

Damnandum igitur quod hinc Brentius concludit p. 249. recognit. suæ. si Christi humanitas in dextra maiestatis circumscriberetur loco, non esset præstantior angelis; Loci enim spatium dignitatis & imperii non est certum documentum.

VERSUS 20.

*Venite ad me omnes, qui laboratis,
& onerati estis, & ego reficiam
vos.*

QUESTIO I.

Verene & serio Deus vocet?

Gratia cui
eis offer-
tur.

§. 1. **V**ere, & serio. Hinc enim vocatio gentium & auxilium generale probatur. l. 2. cap. 5. de gratia & lib. arbitr. Bellarm. Ad omnes homines gratia pertinet. peruersæ igitur ad paucos restringunt Calviniani. Piscator. [Abutuntur hoc dicto qui inde volunt probare, Christi gratiam pertinere ad omnes omnino homines, nullo prorsus excepto. Etenim Christus gratiam suam hic promittit non omnibus simpliciter hominibus: sed tantum iis omnibus, qui fatigati sunt & onerati, id est, qui sentiunt onus peccati & eo cupiunt leuari. Atque his quoque eadem conditione gratiam suam promittit, si ad ipsum venerint, id est, in ipsum credi-

derint.] Idem etiam in coll. cum Vorfio Sect. 123. & 124.

Vocat omnes, omnes, non paucos, & serio saluos vult: Non tamen efficit, vt veniant, quod illi gratiam, sufficientem, benigne oblatam repudiant, virtutis suis indormientes, & tenebrarum amatores, Ioan. cap. 1. v. 19.

Noluit autem inuitis & contemptoribus vitam æternam conferre. Nullum ille præciso decreto à salutereiecit. 1. Timoth. 2. 2. Pet. 3. Horribilis est hic sententia Calvinianorum, quam passim obtrudunt. Recenset suorum errores Nicolaus Greuinchotius pag. 48. contra Amesium. [Deus igitur autore Marlorato, Piscatore, Gomaro, Triglandio, te Smoutio &c. exitio destinatur, & ad damnationem creat, quolibet, non propter vllam indignitatem, aut infidelitatem, aut alia peccata, sed ex mera voluntate & beneplacito suo: Eisdem porro vt ad damnationem, sic etiam ad causas damnationis ita ordinatur, vt non peccare non possint; & postquam peccauerint scilicet tam facile conuerti possint, quam cælum digito attingere; siue per naturam, siue per gratiam, nempe, quia Deus non vult ipsos conuerti, sed aduersus oblatam qualemcumque gratiæ vmbriam perstinaces esse; & quamuis facerent omnia opera sanctorum, non possent tamen saluari: Et hos tamen electionis suæ certos esse iubet (tenetur enim quicquid credere se electum esse etiam reprobis:) & quamuis verbum suum non destinatur in istorum correctionem, sed maiorem condemnationem, tamen à peccatis dehortatur serio, vocat, inuitat, obsecrat, ac nullis non blanditiis allicit ad conuersionem; quin & iuramento addicit, se nolle exitium ipsorum, sed vt conuertantur & viuunt; atque hoc idem obsignatur Sacramento foris; interim.

Astutam vapido seruans sub pectore vulpem.

Eisdem vult offendere ac labi, quos recta iubet incedere; non vult autem secundum electionem, quam sibi referuat, illis qui non sunt electi baptismum prodesse, neque per orationes ab Ecclesia pro ipsis factas, benedictionem, quam Christus Ecclesie suæ meruit, impetrari.]

§. 2. Vocantur autem *περὸς ἡμᾶς* gradati, quocumque modo, & onerati, hoc enim indicant verba ipsa: *ονηρωμένοι, lassī, fatigati, laborantes.* *καταλαβὴν* illa varie potest accipi: Vel enim afflictione rerum aduersarum, vel graui peccatorum onere, vel legis iugo premebantur. His opponit Christus suauē iugum, & onus leue. Vocat & eos, qui mala sua non sentiant.

§. 3. Bellarminus de amissione gratiæ & statu peccati. c.

Quorum enim vocat, si efficaciter operando aures obtundit, & obturat, ne audiant? Quomodo ad peccatum cogit, & impellit, si vocat ad se, vt iugum leue, & suauē tollant?

QUESTIO II.

An inuitatio Christi Pelagianis faneat?

§. 1. **A**rgumentatio Pelagianorum fuit, Inuitat omnes, venire igitur possunt, frustra alioqui inuitantur, si mouere pedem non possunt.

Non tamen inuitatio Christi blasphemiam contra gratiæ dona confirmat. Non enim dicit, venite ad me vestris viribus, libero arbitrio, sed venite. Ita Augustinus. l. 1. contra duas Epistol. Pelagian. cap. 3. & 4. *Quam multi inimici Christi quotidie subito Dei occultæ gratia trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Euangelio*